

donum est, cujus in Sacris sincera laus toties prædicatur, cujus indefessum studium toties commendatur; ut etiam illam precibus à Deo petere expressè jubeat Apostolus Jacobus cap. 1. v. 5. his verbis. *Si cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo, qui dat eam benignè omnibus, nec exprobrat, & dabitur ei.* Atque huic nostræ horum locorum explicationi consentit gravissimus veteris Ecclesiæ Doctor Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromat. quando ait. *Sapientes eos (Græcos) dicens Scriptura, non reprehendit eos, qui sunt verè sapientes, sed eos qui sibi videntur sapientes. De his autem dicit. Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum abolebo: infert itaque Apostolus: Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi inquisitores hujus seculi? &c. Similiter lib. 5. Perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium reprobabo, eorum scilicet, qui sibi videntur sapientes, & sunt contentiosi. Et rursus lib. 1. Dominus solus cognoscit disceptationes sapientum, quod vanæ sint: Sapientes utique Scripturâ vocante Sophistas, qui in dictionibus versantur, & artibus superfluis; & paulò post. De iis & similibus, qui se inani dicendi genere exercuerunt pulcerrimè dicit divina Scriptura, Perdam sapientiam sapientum &c. Huc facit etiam venerabilis Beda, quando in expositione 1. Epistol. ad Corinth. cap. 3. quam ex D. Augustini operibus congeffit, hæc habet. Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dicitur aliquando in Scripturis Sapientia pro astutiâ, abusione verbi, non proprietate rei. Unde etiam dicitur. Ubi sapiens? Ubi Scriba? ubi Conquisitor hujus seculi? nonne stultam Deus fecit sapientiam hujus mundi? Et Anselmus in 1. ad Corinth. cap. 1. v. 19. Insultat Apostolus Sapientiæ & astutiæ probatæ falsæ, & reprobæ, cum dicit. Ubi sapiens, ubi Scriba, ubi inquisitor hujus seculi? Quasi dicat, nihil valet talium astutia. Et est invecctio in Judæos & Gentiles, &c. Videantur etiam quæ habet in cap. 2. A quibus omnibus non abludit D. Thomas Aquinas in hanc Epist. cap. prim. vers. 19. sic commentans. Est autem considerandum, quòd homines, quantumcunque mali non totaliter Dei donis privantur, nec in eis dona Dei reprobantur, sed in eis reprobatur & perditur, quod ex illorum malitia procedit: & ideo non dicit simpliciter perdam sapientiam: quia omnis sapientia à Dominò Deo est: Sed perdam sapientiam sapientum, id est, quam sapientes hujus mundi adinvenerunt sibi contra veram sapientiam Dei, quia ut dicitur Jacob. 3. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Similiter non dicit reprobabo prudentiam: Nam veram prudentiam sapientia Dei docet; sed dicit prudentiam prudentium, id est, quam illi, qui se prudentes æstimant in rebus mundanis prudentiam reputant, ut scilicet bonis hujus mundi inhæreant: Vel quia ut dicitur Rom. 8. Prudentia carnis mors est. &c. Eòdem sensu in hunc locum scribit Thomas de Vio Cajetanus his verbis. Significanter non dicit perdam sapientiam & intelligentiam, sed ad-*